



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 297. Dicentes: dicite quia discipuli eius nocte venerunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

non reuelaretur saltem per custodes sepulchri milites? inuenit malignum consilium, concludentes inuicem esse adhuc copiosam pecuniam in arario communi Ecclesie, ex quo Iudas Ischariot traditor triginta argenteos accepit, posse pro honore tuendo proprio & conseruando etiam maiorem summam accipi nunc pro custodibus sepulchri ad celandam resurrectionis Christi veritatem.

Ecce Consiliarios! Ecce Principes reipublice, qui etiam cum vitæ periculo veritatem, & iustitiam tueri & defendere deberent, quomodo hic vendunt, & veritatem & aequitatem, ementes mendacium & sacrilegium non ex propria pecunia, sed aliena, non ex sæculari aut diuitum peculio sed Ecclesie & pauperum thesauro.

**D**omine Deus ne vnquam obsecro eo dementiæ veniam, vt meum vel commodum priuatum quærant per Ecclesiasticarum rerum & pecuniarum sacrarum dissipationem, imo eius sim semper animi, vt me relicto quæram Ecclesie & Dei potius & commodum & honorem, quam meum cum vel minimo peccato, & detrimento Ecclesie vel Dei.

§. 296. *Pecuniam copiosam dederunt militibus.*

Res magni momenti erat resurrectio Christi & consequentiæ grandis, igitur vt illa non resciretur maxime per viuos testes & oculos sepulchri custodes celaretur, opus erat non promissionibus, nec parua pecunia, sed re ipsa corrumpere, & pingui munere obstruere testium ora. itaque non contractum inierunt cum militibus Principes quantum quisque pro silentio habere deberet veritatis, sed statim cuique obruserunt dantes copiosam pecuniam. Sic sapientes huius mundi prudentiores sunt filijs lucis contra Deum & veritatem.

**D**omine nunquam sic ego sapiens sim vt contra iustitiam velim corrumpere proximum, vel corrumpi vlllo munere, quantocunque pretij, sed da gratiam vt omni tempore memor iustitiæ eam defendam in veritate etiam cum periculo vitæ, vt tu lauderis semper, & iustitia tua viuat & vincat, etiam si ego debeam confundi.

§. 297. *Dicentes: dicite quia discipuli eius nocte venerunt.*

O stulta & iniqua instructio, dicite scilicet contra conscientiam & veritatem, quia discipuli eius nocte venerunt. at quomodo venerunt ô consultores mali? nonne custodia erat, & milites positi ad sepulchrum qui custodirent? cur milites non repulerunt discipulos si venerunt de nocte iuxta mandatum vestrum? fors non aduerterunt aduenientes? ita vere! Quomo-

do ergo dicent cum veritate quia discipuli eius nocte venerunt, si non viderunt eos vel aduerterunt quouis modo aduenientes, aut auferentes Christi Corpus, aut frangentes sigillum & lapidem amouentes, aut si hoc viderunt, quare non prohibuerunt? caput suum damnarunt Pilato si hoc fecerunt, sed mentita est iniquitas sibi. Desecerunt scrutantes scrutinio Principes tui Israel. Sed obsecro ane tacebunt semper milites veritatem rei etiam decepti per vos & vestram pecuniam?

**D**omine non sic ego vnquam faciam, vt velim decipere quouis modo proximum, vel circumuenire verbo, facto vel exemplo deducendo ad malum, contra legem tuam aut naturæ, sed precor, da gratiam vt omnia agam semper & dicam cum fundamento rationabili ad tui solius gloriam, & proximi bonum & hoc ex iustitia, & nunquam aliter; vt viuat Deus noster ipsa iustitia & veritas in omni mea actione & intentione.

§. 298. *Es furati sunt cum nobis dormientibus.*

Impij Principes præter iniuriam quam intendunt bonis Christi discipulis, etiam volunt hic eos facere fures, & consequenter criminosos læsæ Maiestatis per irruptionem in vigiliis positas à præside Romanorum, per publici sigilli fractionem, & violentam ablationem Corporis Christi: insuper & milites ipsos vigiles, inducere vt contra se loquerentur, & conscientiam & faterentur se in excubijs dormiuisse omnes, cum aliquorum tantum sit dormire, aliorum in stationibus suis vigilare, ne vel hostis irrumpat, vel ipsis dormientibus id auferatur, quod custodire debebant cū vitæ periculo, iuxta legem militiæ. At quomodo possibile erat vt omnes dormierint vel tota nocte, vel ex aliqua parte, vt nullus militum maxime excubiæ non vigilassent, vel strepitum aduentantium discipulorum non audissent, vel mouentium lapidem grossum & grandem, ipsum denique Corpus lesu auferentium ponderosum satis quæ omnia vna hora omnino, & sine strepitu etiam magno fieri non poterant. Dicam, peruersitas Pontificum & seniorum est, qui non contenti Christum viuum, occidisse, eum & post mortem persequi intendunt, ac resurrectionem eius abolere conantur, vt scilicet regant suum scelus, & Christicidium, neue aliquis in eos quasi Christicidas insurgat, Christique necem vlciscatur: ideo faciunt discipulorum crimen, quod est virtus propria magistri, quem amiserunt milites, perdidit Iudæi, sed discipuli magistrum suum non furto, sed fide, virtute non fraude, sanctitate non crimine, & viuum, non mortuū sustulerunt: ite nunc ô Principes cum inuentis & subterfugijs contra veritatem, ipsa veritas magis elucescit per vestra mendacia, vultis docere mentiri, qui tamen ipsi mentiri, ex  
arte